



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De  
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,  
Commentariorum Libri LVIII**

**Valeriano, Pierio**

**[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678**

Lib. XVIII. Vultur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14259**

affici voluptatibus, quæ unicuique, dum viveret, placuissent. Addunt & Aram Olympiæ, quam alii  
 tes huiusmodi numquam infestant. Idem sacri sunt apud Britannos, non enim Milvium iis oc-  
 cidere licebat.

## NAVIGATIO. CAP. XL.

Sunt qui navigationem, sunt qui gubernandi rationem ex Milvii volantis hieroglyphico significa-  
 ri tradant, propterea quod multorum sit opinio, ait Plinius, didicisse homines ex Milvii temonem  
 navibus immittere, quippe cum observassent Milvium cauda modo hac, modo illac flexa, vice clivi  
 volatus sui cursum dirigere, natura scilicet in liquido cœlo monstrante, quid opus factu esset in hu-  
 mido profundo.

## JOHANNIS PIERII VALERIANI HIEROGLYPHICORUM

LIRER XVIII.

### DE IIS QUÆ PER VULTUREM SIGNIFICANTUR.

Ex sacris Ægyptiorum Literis.

AD CORNELIUM MUSÆUM PRÆSULEM BITONTINUM.

**I**nterrogasti me, Præsul bonissimi, quam illa sit Vultur mea, quam libri edis, Germani  
 quidam ex Horo Niliaco à me Latinam factam divulgant. Sedenim scias me olim Romæ do-  
 disse eam videndam clarissimo Alberto Pio, Corporum Principi eruditissimo, verum ex ejus scri-  
 ptis, una cum aliquot aliis hujus nota scriptis à nescio quo laborum alienorum suppressore abla-  
 tam, & in Germaniam asportatam. Cujus facti indicium est, quod docti quidam viri, cum opusculum idle-  
 gissent, Hori esse arbitrati, scriptis prodidere, Horum Apollinem de sacris Ægyptiorum literis à Ioan. Pe-  
 tro Valeriano Latinum factum. Ioannis autem Petri mihi est peculiare nomen (cur enim id inscribitur)  
 priusquam M. Ant. Sabellicus præceptor meus, id Venetijs in Pierium immutasset. Sed Horum Apollinis  
 me non est conversus, frequenter vero in scriptis huiusmodi citatus: argumenti enim huius alios etiam  
 auctores, eosque multos habui. Utcumque, ea deperditæ lucubratione, alteram reparavi: ablati enim  
 illius reliquis archetypi toto pluteo dissipatis, hanc priori illi non abstmilem informavi, quam tibi dono do-  
 rem, qui aliquid ex hoc meo argumento lecturum te libenter significasti: quod quidem summa tua erit  
 me humanitati potius, quam ulli studiorum meorum merito attribuerem, & tamen in iis aliquid  
 est, unde huiusmodi lucubrationes tibi fors minime displicentur mibi confingam: siquidem ego li-  
 bentissime, hinc occasione qualibet arrepta, ut hac parte videre poteris, ad nostram pietatis doctrinam, divi-  
 narumque literarum interpretes me conferre soleo. Ex iis vero tam multa excerpsti, ut profiteri valeam,  
 aut horem alium neminem meo huic argumento, quod multis jam commentariis auctum est, plura supple-  
 tasse. Neque ego umquam impurum nonnullorum ingenium approbavi, qui dum poliores haberi vo-  
 lunt, sacras nostrorum literas, utpote squallorem, quod unum obijciunt, quendam præ se ferentes, attinge-  
 re pertimescunt: sed enim in ea semper sententia fui, nullam esse lectionem qua plus afferre possit erudi-  
 tionis, quam sanctorum hominum, qui divina tractant, institutiones. Nam si artium fere omnium, libe-  
 raliū finis denique est, ut veram edocti rationem, bene honesteque vivere adlaboremus, fator me, quan-  
 tumcumque hoc studiorum genere assequi licuit, non plura, neque admirabiliora ex quibusvis discipuli-  
 narum quarumcumque magistris exhausisse, quam ex mysteriorum, qua ad pietatem nostram faciunt,  
 interpretibus: sive rerum naturam, sive morum sinceritatem, sive que ad veritatem, & Dei Opt. Max.  
 cognitionem pertinent, inspeximus. Sed ego imprudens, qui hac tibi commemorem, qui tamdiu, tam  
 diligens.

**A** diligenter, tam assidue, in omnium doctrinarum lectione versatus es, quig, alios hæc per doctissimas con-  
 ciones tuas, tam docte, tam eleganter, tam copiose doceas potius, quam à quoquam doceri possis. Idcirco  
 his omiſſis, ad rem ipsam, quam, qualiscumq, sit, recognoscere cupis, accedamus.

## DE VULTURE. CAP. I.

**E**volucrum genere nullam omnino Vulture magis admirandam invenias: sive peculiare in ejus  
 vita & ab omni vulgo semotos mores, sive conceptum, partum, educationemq; alitis, sive ex-  
 cellentes quasdam ingenii dotes, sive significata varia per eam in picturis, in portentis, in disteriis  
 posita consideres. Neque illa quidem plebi obvia, & unicuique exposita, sed magnis Regibus atque  
 Diis accommodata, ipsis etiam Philosophis ac peritissimis Theologis explorata; per hujus namq;  
 simulacrum hieroglyphicumve, annum, matrem, sive, ut apud Ammianum est, naturæ vocabulum,  
 mundum, intuitum aut speculationem, terminum, hæredipetam, stragem, præfagituram miseratio-  
 nem, justitiam, livorem, Pallada, Junonem, & quædam alia veteres significabant.

## ANNUS. CAP. II.

**Q**uoniam vero ex eo præcipuum erat anni significatum, qua ratione sit id receptum, operæ præ-  
 tium fuerit explicare. Vultur, ut apud Ægyptios habetur, trecentos eos quinque & sexaginta  
 dies, quibus annum conficitur tempus, ordine mirifico departitur. Nam cum annum Ægyptii per  
 tres tantum qualitates metirentur, ver quippe, æstatem, & hyemem, quæ singula tempora centum vi-  
 ginti diebus constare voluerunt, ac uti Theopompus ait, hyemem Saturnum, æstatem Venerem, ver  
 vero Proserpinam appellabant, quinque in super dies addiderant, quos intercalares vocitabant. Vul-  
 tur vero ad ejusmodi partitionem anni accommodata, cum primum concitata fuerit ad conceptum,  
 qui sit à vento, quinque continuos dies sine cibo & potu consumit in ejusmodi initu, natura in ventum  
 ad aperta: mox centum & viginti dies prægnans manet, totidemq; diebus pullos educat, reliquos cxx.  
 dies immunis est, suarumq; tantum rerum satagit, neq; prægnationi, neque educationi intenta. Sum-  
 motis itaque intercalaribus, ad antiquiorem illam rationem trahere possumus supputationem illam  
 Xenophontis, libro qui *ἠἠἠἠἠἠ* inscribitur: ubi sex mancipiorum millia, si singuli singulis die-  
 bus obulum lucrifaciant, unoquoq; anno hos sexaginta talenta veſtigalis allataros: sic enim cccclx.  
 dies in unius anni tempus videtur enumerasse. Sed ne quid, quod vel utile vel delectabile esse pos-  
 sit, prætereamus, super horum quinque dierum, qui anno superant, argumento, tabella fertur: quem-  
 admodum Rhea cum Saturno clanculum rem habuerit, idque ubi Sol explorasset, imprecationibus  
 devoverit, neve mense, neve anno pareret. Mercurium vero Deæ amore captum hoc iniisse consili-  
 um, ut opem laboranti ferret: Lucinam quippe deam talorum ludo illectam detinuisse, atque ita ab  
 sexagesimo quoq; die lucem unam intervertisse, donec dies sibi quinque comparasset, quos anno ver-  
 tente certis illis temporibus elapsis, immunes, liberos, exemptosq; cum nusquam nomina dedissent,  
 ad anni supplementum accommodaret: factumq; ita est, ut per hujusmodi dies Rheæ facultas pari-  
 undi fuerit. Hos intercalares Ægyptii habent, Deorumque suorum adscribunt genethliaco. Ferunt  
 vero die primo Osirim, rerum Dominum futurum, editum: secundo Aruerin, quem Apollona, & se-  
 niorem Horum nonnulli vocant: tertio, Typhona: verum hunc intempestive, neq; proprio meatu  
 egressum, sed ex disrupto latere: quarto, Isim: quinto Nepthen, quam nonnulli finem, vel potius in-  
 teritum, alii Venerem, alii Victoriâ appellarunt. Satis hæc ad intercalares dies quinque. Quid ve-  
 ro sibi de diis quinque commentum velit apud Plutarchum querere licebit. Neque vero hic nume-  
 rum illum cccclx. cælorum, cujus principem Abraxam Basilidis deliramenta constituerunt, curio-  
 sus persequar, ne rem tam seriam inanibus & ridiculis fabulis infarciâ. Illud addam, quantum ad  
 anni rationem pertinet, quod Umbricio teste Plinius scribit: Vulturem ova xiii. parere, quod ad in-  
 star totidem Lunæ coitionum accipio, quæ per univèrsum annum potissimum observantur. Porro,  
 annus etiam apud Persas in dies cccclxv. describatur: eaq; de causa igni illi suo, quem Sacrum &  
 Æternum vocabant, totidem sacerdotes juvenes instituerant, qui canentes, ignem quaqua gestare  
 tur, sequerentur.

*Ægyptiaca  
 anni dimen-  
 sio, & super  
 hoc fabula.*

*Dies Ægy-  
 ptiorum in-  
 tercalares.*

*Plin. lib. 10  
 c. 64. Nimi-  
 rum, Ede  
 igni Domi-  
 ni: author  
 Maximus  
 Tyrius.*

ANNO-

ANNUM itaque per Vulturem apud Ægyptios significari non levi de causa, manifestum est. Ab hoc aliud sequitur hieroglyphicum, ut per eandem alitem vel senio confectam, vel demortuam centum annos intelligamus: eam enim augures magna semper religione sunt observare soliti, ac per singulas Vultures annorum centena totidem portendi tradiderunt, duodecimque illas quæ Romulus observavit, Imperium Romanum ad MCC. annos duraturum ostendisse, quod observatum à Vespasiano tradit Varro exceptum mox à Censorino, qui circiter millesimo ab urbe condita anno claruit, quod ita postmodum evenisse, scæda ac miserabili totius Italiae clade, & in cives omnes occisione, aut misera captivitate servitum à Gensericò, qui dolose servis impositis eam occupavit, anni circiter MCCXXII ab ea condita numerantur, ut Paulus Diaconus in iis quæ addit Eutropio, neque non Orosius recensent, penèque tunc periit Romanum nomen. Quare Vespasiani quadrat interpretatio, tametsi hanc Rom. Imperii ruinam nonnulli proferantius annis aliquot accipiunt, sub Athalarico tamè (ita in numis nomen ejus inscribitur, non Halaricus) qui urbem quatuor & XL. annis antea invaserat, Imperatore Romano incolumi, non extinctum, sed valde attritum Imperium est. Neque sum nescius, Imperii speciem quæ ab Augusto inceperat, in Augustulo finitam, qui metu Odoacris, qui totam Italiam sibi armis vi subdiderat, perterrefactus, purpuram Imperatoriam sponte abjecit, majestatemque illam depolitam barbaro tyranno tota rerum concessa potestate quod fuit anno ab Urbe condita circiter MCCXXII à C. Cæsare DXXVII à salute nostra CCCCLXXV. Sane dignitas hæc apud nostros, Occidentales scilicet ad ccccxxx. annos non resumpsit purpuram, quam omnium primus Carolus Magnus ab interitu propemodum vindicavit, Eo vero tunc miseræ redacta est Rom. majestas, ut Odoacer ipse de Roma Odoacria vocanda cogitavit, quo nominis etiam Romani memoria aboleretur, factumque omnino fuisset, nisi qui melius aut pie magis sentiebant, persuasissent Regi, majorem illi apud omnes gloriam futuram, Romanam domitam, quam Odoacriam instauratam. Neque vero prætereundi est, in nostrorum etiam miseriarum memoriam, quod rerum scriptores prodidere: Octaviano etiam primo Cæsulatu augurium captanti duodecim se Vultures, ut Romulo ostendisse, atque jam ex eo tempore, anno quippe vitæ vigesimo, ad monarchiam aspirabat, quæ longa annorum serie ad nos usque pervenit, si non Imperii viribus, saltem titulo tenus: licet aliquando interrupta, in eundem tamen titulum postmodum restituta, prout temporum vicissitudines permisere. Quorum quidem temporum hibernias si perpenderit, ad annos circiter MCC. ab Augusto, invenimus Pontificium totiusque Senatû decretis magnum id Imperii nomen abolitum, perque annos multos adulterinam fuisse Imperatoris nuncupationem. Quamquam, de tam venerabili titulo defraudaremur, aliquot post annis, sancti Georgii V. Pont. Max. decreto, nova quadam ratione ansa præbita est, ut ea majestas per Electiones certos conservaretur, cujusmodi suffragiorum ratione post Othonem, Othonis secundi filium, primus omnium Henricus Imperator declaratus. Quorum electio ita aliquando despiciatui habita, ut Othocarus Bohemiarum Rex vocatus ab iis ad Imperium capeendum, ultro contempserit, qui plurius Bohemiarum Regem esse existimaret, quam Romæ Imperatorem, atque illi tandem ad Rodolphum Habzburgi Comitem, qui Magister curiæ Othocari erat, devenere. Sed ne longius ab instituto nostro recedamus: qualiacumque hæc fuerint, illud inter hæc observatione dignum mihi videtur, ter jam hæc annorum MCC. supputationem, tribus in maximis Imperiis, æquo propemodum temporis sui circulo, insignes admodum rerum mutationes adduxisse. Primam à Romulo ad Gensericum, sive quæ ad Odoacrem maluerit: secundam, ab Octaviano Augusto ad Fridericos: tertiam Constantinopolitanam à Fl. Constantino ad Constantinum eum, qui oppressus ab Othomano Turcarum duce, vitæ & Imperium finivit, qui etiam ejusdem nominis matrem habuit cum Imperii conditore. Nam inter duos hos Byzantii Principes anni mille centum supra unum & nonaginta decurrerant. Neque oblitus quod à Valente Mathematico inspecto urbis horoscopo prædictum sit, Imperium id ad annos DCCCXXII duraturum, quia post eam annorum summam qualescumque fuerint Principes, sive viri, sive feminae, à maximi tamen Constantini institutis pendere videbantur. Sub Turca vero longe alia Imperii forma, longe alia leges, longe alii ritus superinducti. Itaque cur annorum centena per singulas Vultures

Vandalorum Reges.

Septembris desig-  
natos.

Ab hoc ori-  
unda do-  
minus Au-  
striae.

A significantur, inde sumptum, quod eas ad centum usq; annos vivere comperitum est apud antiquiores, quibus ad stipulatur Ambrosius. Nunc reliqua hujus imaginis hieroglyphica aggrediamur.

MATER SIVE NATURÆ GENIUS, CAP. IV.

CUM ergo in genere Vulturum mas nusquam invenitur, omnes autem fœminæ sint, utpote quæ ex vento concipiunt, manifestum est cur Ægyptii sacerdotes per eam alitem uropygio surrecto, atque ad Aquilonem verso matrem aut naturam ipsam intelligerent: mater siquidem fœmineum est animal. Vultur enim, uti dictum, tempore conceptus appetente, quod per quinque dies illos quos supra memoravimus, producit natura in aquilonem, ut Ægyptii tradant, in Eurus ut Plutarchus, exportecta ad-



Tempus conceptus Vulturum, & modus.

B genialib. iniri traduntur. Sed enim hic dissimulare non possum nonnullorum imprudentiam, qui Horum Apollinem citant novo verbo ὄρνις, conficito, ultimoque Hori capite appellato, verba etiam infarciunt, ὄρνις ὄρνις ὄρνις σὺ δὲ κλέων ἢ ὄρνις, cum in codibus manuscriptis, iisq; plerisq; quos evolvi, non ὄρνις, sed ὄρνις scriptum reperitur: uti etiam aliquanto post de coeunte Vacca. cap. πῶς ἀκρόω. ἐπιθ' αὖ γὰρ ἡ ἡλεια ὄρνις σὺ δὲ κλέων ἢ ὄρνις δὲ ἢ πλείων ἢ ὄρνις ὄρνις τρεῖς, Quæ porro de Vulture apud Horum habentur, undecimo in impressis capite sunt, non ultimo. Perdurat vero Vultur quinque eos dies pertinacissimo jejunio macerata, tale est ejus in concipienda prole studium atque cupiditas. Neque quidem negarim alia etiam esse volucrum genera (ὄρνις enim non γύπας, in castigatis Hori codicibus legitur) quæ vel inter se si mas non absit, fœminæ, æque saliant, mutua libidinis imaginatione concipiunt, vel, ut nonnulli arbitrati sunt, ipso pulvere in naturam vi-

C prius attracto, cujusmodi sunt Columbæ, Gallinæ, Perdices, Anseres, & Vulpanferes, quarum tamen ova irrita, minimeque prolifica sunt, ad cibi tantum usum facientia, minora reliquis, ac minus jucundi saporis: ceterum magis humida. Tertullianus: Gallinæ ait, sortita est de suo parere, sed Vultures seminas tantum parere ajunt, Ova hujusmodi, quia ut pleriq; omnes asserunt, ex vento generantur, & Zephyria & Hypenemia, quasi subventanea dicere velint, appellantur. Eos vero non audiendos dicit Aristoteles, qui dicunt, vere tandem hæc fieri, incubatione derelicta, cum & juvenæ expertes adhuc coitus ea pariant. Ceterum idem author, qui subventanea omnia infœcunda esse vult, in quodam avium genere existere simile piscibus, spontanea ova ad fœcunditatem progneratibus, non inficiatur, quod nimiru de Vulturib. in primis fertur. Eas porro author is quoq; volare versus Austrum, atq; ita ab Aquilone iniri prægnantesq; fieri tradit, perq; tres annos parere, quod etiã apud agricultores Constantini legimus. Apud Hesiodu ὄρνις interpretes ajunt: Vultures, quaru ova subventanea sunt, absq; maris copula, neq; alia earum generatio reperitur. Neq; defunt interpretes etymologici, qui dicant ὄρνις quasi οἰσός, quod ὄρνις ὄρνις sibi sit: quippe qui sine maris auxilio ex vento concipiat. In cujus quidẽ fœcunditatis commentationem illud addere non incongruum est, quod non intra suum tantum genus ea felicitas continetur, sed proficua quadam vi ad alioru etiam beneficium celebratur.

D Penna siquidẽ vulturina subiecta pedibus, adjuvat parturientes. Id vero quod de Vulturum hujusmodi conceptu fertur, ne quis fabulosum putet, inter quadrupedes etiã Equas aliquot ex vento concipere, Probus ex comperto refert, quod & D. Augustinus, divinarum humanarumq; rerum peritissimus, affirmat: & velocissimos ex eo genere jugales apud Homerum comperies haudquaquã fabulose dictum. Basilius Magnus ex hoc omnibus animadversum cupit, ut cum nostrum arcanum nonnullos homines irridere conspexerimus, quasi fines nature cancellatosq; egrediatur, quod fieri non posse cõtendant, ut virgo pariat, virginitate ipsius integra, illæsa atq; intemerata persistente, contemplari debere nos, Deum exempla pleraq; jam inde ab initio præmisisse, ex ipsaq; natura rerum semina quæ dã conspersisse, unde possit unusquisq; ubi quod alta jam mente cõceperat, effecisset, talibus mirabilib.

Ova zephyria & Hypenemia.

Nempe in Hispania

De B. Maria Virginitate dubitantium perveritas evidetur.

E e fidem

fidem adhibere : atq; ita iis occurrere voluisse, quorum stuporine dicam, an perversitati, nihil quicquam aliud persuadere queas, quam quod vel manibus attingunt, vel oculis assequuntur. Hinc ait Ambrosius, neminem subventaneo Vulturis audito conceptu, rerum naturalium scriptoribus refragari : cum vero virginem divino afflatam numine peperisse audierint, risum inceperunt. Tangit hoc idem Adamantius, ubi Celio respondet, duplex Alma significatum ex Hebræorum interpretatione objectanti. Sed enim, de intacta virgine, non autem de adolescentula (quod Theodotio Epiphysius & Aquila Ponticus intelligendum frustra conantur persuadere) prophetatum est priusquam in Babylona fieret populi transmigration, hoc est, antea quam Medi & Persæ principatum invaderent. Reddita autem sunt hæc in sermonem Græcum ab ipsis Judæis multum ante tempora adventus Domini nostri, ut nulla relinqueretur suspicio, inquit Irenæus, ne forte morem nobis gerentes Judæi, hæc ita sint interpretati: qui quidem si cognovissent nos futuros, & his testimoniis usuros, quæ sunt eorum scriptis, nunquam & hæc & monumenta Prophetarum reliqua comburere dubitassent. Veniunt igitur in Latinorum manus Græco sermone translatis Hebræorum libri, multo antequam Romani Judæos in potestatem redeissent, Macedonibus quippe adhuc Asiam possidentibus. Ptolemæus enim Lagi cupiens bibliothecam, quam Alexandria struxerat, illustribus scriptorum omnium monumentis implere, ab Hierosolymitanis petiit fieri sibi copiam ut eorum libri in Græcum sermonem transferrentur. Illi, qui tunc Macedonibus parebant, Septuaginta viros ex primoribus, & utriusque linguæ cognitione præstantibus, ad Ptolemæum miserunt; qui veritus, ne, si invicem consultarent, veritatem absconderent, eos omnes in singula contubernia separavit, iussitque, ut unusquisque pro se librum transferret, eoque in libris singulis ordine servato, opereq; perfecto, omnibus mox convocatis, & per libros singulos interpretationem suam unoquoque eorum proferente, in omnium sententiam eandem esse constitit, ac si ab uno tantum tradiciones omnes emanassent. Neque tamen ignoro esse qui rem aliter gestam narrent, & Pentateuchum tantum à lxx. traductum contendunt, non separatos, sed unanimi concordia sententiam unoquoque suam proferente: Sed ego & Irenæus, & antiquis aliis potiore adhibeo fidem. Quare non est ut calumniatores, Almam, jam excogitent, & loco Virginis legitimi nominis, & à tot eruditissimis agniti, substituire contendant. Plurimum vero ut ad Vulturem redeamus) indignatur Adamantius, plerosq; adhibere fidem Historicis Philosophisque, hæc de Vulture & aliis aliquot animantibus, quæ sine maris conjunctione concipiunt, indubitato tradentibus, & Deum negant, qui hæc in aliquot aliis animalibus facit, posse etiam in hominibus idem, uti adliberit, facere. Et Græcorum plerique credunt homines primum ex limo procreatos: nos non credemus ex dimidia humanæ substantiæ parte, iussu Dei, imo eo de se ita statuente, fieri potuisse, ut Jesus ex eo filius nasceretur? Esto igitur Vultur documento nobis, ne mysterium illud sacrosanctum, unde vera salus, veraq; felicitas nobis obtigit, fabulosum fuisse, vel minimum quidem suspicari unquam in animum inducamus.

## MISERATIO. CAP. V.

**A**D hæc Egyptii sacerdotes miserationem per Vulturem femora sua rostro proscindentem, exprimebant: illa enim centum & viginti diebus, quibus in filiorum educatione detinetur, nunquam ad prædam longius provolat, uni illi curæ intenta, ne pullos deserat, deq; propinquantum quæ fuerint in promptu conveniatur. Quod nisi aliud quicquam suggeratur occurratve, quod filiis alimentum paret, ipsa suis femoribus rostro vellicatis sanguinem ciet, quem filiis exugendū præbeat: tanta curat charitate, ne illi victus egestate deficiant. Sane vero factum hinc crediderim, ut majores nostri, cum incomparabilem profrus Assertoris nostri miserationem, qui pro salute nostra sanguinem suum profundere non dubitavit, alitem hanc, non autem Pelecani in sacrosanctæ crucis apicem ea femorum vellicazione spectandam, popularium omnium oculis exererint. Nam quamvis



*Vulturis, Pelecani & Phœnicis erga suos amor comparatur.*

**A**vis omnino per Pelecanum incredibilis erga filios amor hieroglyphico longe alio significetur, nusquam tamen apud antiquissimos rerum scriptores, qui saxum hoc evolverunt, legimus avem aliam, quam Vulturem, femorum suorum vellicatu pullos suos pascere consueisse: Phœnicæ tamen & ipsum vellicare femora, sed, ut suo loco disputatur, non ut eo filios alat, quos nullos habet, sed ut ex eo fuso vermiculus ille oriatur, qui mox exeat in Phœnicem. Alia vero ratione mortem oppetere Pelecanum, ut filios sospitet suos, Ægyptii tradiderunt: de quo qui illi tradiderint, suo differimus Commentario.

JUSTITIA. CAP. VI.

**H**erodotus Vulturem ab Hercule pro justitiæ symbolo habitum tradit, quod ea justissima omnium avium, quæ volatilibus vescantur, iudicetur, eaq; de causa semper apud eum magna æstimationis fuisse, lætariq; solitum cum inter res agendas Vulturem aspexisset. Vultur enim nihil, quod vivit attingit, nec animatum quicquam interficit, quod Accipiter & Aquilæ faciunt, cadaveribus vero contenta, nullius unquã avis passione pollui visa est, ut Ægyptii observare. Eadem fructus nunquam laedit, nec ulla in re animali cuiquam mansueti nocet. Quare mirum videtur quod traditum est à Dionysio, Aquilarum pullos, quorum nidus erat in Palma, quæ Tarquinii Superbi regiæ incumbebat, dum parentes absunt incurso subito à Vulturibus discerptos. Sed id videtur ea præcipue de causa dari prodigii loco habitum, quod cædes ea ab hominibus genere profectia sit, quæ in animatum animal sevirè minime consuevit. Utcumque, non immerito innocentes Vultures Hermodorus Ponticus apud Plutarchum dicit: nam & ab iis quæ maxime nocere soleant animantibus, mortale genus liberant: ex volucris enim in auxilio contra serpentes primam ajunt esse vulturem, corque ejus alitis habentem, tutum esse non solum à Serpentum impetu, sed etiam à ferarum & latronum periculis, & ut aliquid omnino dicant, à Regum etiam indignationibus incolumen evadere.

DESIGNATIO. CAP. VII.

**A**lia quædam ex Vulture hieroglyphica commenti sunt Ægyptii sacerdotes, ex iis quæ ab ea plurimum fieri observant. Nam scopum, sive locum, quo quis tendere designaret, per eam alitem alte volentem expressere: propterea quod Vulturem supra reliqua omnia animantia acutissimo visu præditam asserunt, atque oriente Sole occasum versus aspicientem, decedente vero ad orientem spatiosissimis quantumlibet intervallis esculentum, quod usui suo competit, prospectum enanti, un oque ad id volatu, quasi sagittam ad scopum ferri. Quinetiam, ut D. Hieronymus attestatur, transmarina cadavera sentiunt. Sunt autem qui visui, sunt qui adorant, quo sagacissime pollent, rem adseribant: sed utcumque hoc ab ingenio hominum disputetur, illud satis constat, Ægyptios intuitum ea loci designatione, in remotissimas quantumlibet partes, per Vulturis hieroglyphicum significasse.

TERMINUS. CAP. VIII.

**Q**uinetiam circumscriptum terminum per ejusdem alitis picturam intelligi volebant: propterea quod, si conflictus usquam futurus est, locum ipsa præscribit, ubi acies concurræ sunt, & pugnam initura, quo septem ante diebus, ut Ægyptii tradunt, aut, ut alii, triduo tantum prævolant. Hinc illud apud Plautum, in Truculento, de cenipeta Dinarchus ait:

*Jam quasi Vulturii triduo prius prædivinant quo die esuri sint.*

PRÆSAGITURA. CAP. IX.

**A** hac vero præfagiendi vi, quod tot ante dies ubi strages futura sit, præsentunt, iidem sacerdotes Ægyptii præfagituram ex Vulturis simulacro significabant: iidemq; asserunt, consueisse præcos Reges belli tempore exploratores dimittere, qui observarent in quamnam exercitus partem Vultures iminerent, inde commonefacti stragem ibi futuram, ubi earum alituum grex frequentior incubuisset. Quæ quidem hujusmodi alitis providentia redigit in memoriã mihi quod Hermes Astronomus eum, qui Vulturis celestis afflatum ab horoscopo sortitus fuerit, sapientem & providum in negotiis obeundis futurum asserit,

Ee 2

impe-

Vulturum innocentia.

Hæc à Plutarcho, in problematibus rer. antiquarum. Nec qui dem in cadaveribus suis generis. Plutarchus ibid.

Visus Vulturum acutissimus.

Quin triduo ante aut biduo volant ubi cadavera sunt. Plin. lib. 10. c. 6. Vulturum providentia maxima. Et Callides in Trinummo de garonibus sunt alii qui lo Vulturum vocant.



imperiumque suum (nam & Regem fore pollicetur) valido munimine, animoque, consilio & providentia optime valiturum. Quod si privata vita fuerit, pecuniosum omnino futurum, multos ejus aspiciis bene res gesturos, magnasque divitias comparaturos. Præter hæc etiam asserunt, futurum eum militum ductorem, cui Vultur volans in horoscopo feliciter affulserit, eundemque magnis semper negotiis deditum, honoratissima quaque modo in hanc orbis partem, modo in illam appetiturum, quo nomen in longinquas regiones extendat populosque, civitates & regna externa ditioni suæ subiciat, cui libenter omnes, tanquam Indi Augusto, inserviant, & studiis omnibus obsequantur.

## HÆREDIPETA. CAP. X.

Seneca l. 15.  
epistol. 96.

Juniores hereditam, mortuorum quippe bona captantem, per Vulturem significari tradunt: unde mordax apud Senecam dictum, *Si vultur es, cadaver expecta*. Huc etiam ille Martialis epigrammaticus:

*Cujus Vulturis hoc erit cadaver?*

Profane in  
divinis lit-  
is Vulture  
habita.

In primis vero Divinae literæ neque Aquilam, neque Vulturem mens inferri volunt. Hic Adamantius illos in iis nominari putat, qui alienis mortibus incumbunt, qui arte fraude testamenta subijciunt, velut mortuorum cadaveribus inhiantes: propterea quod his avibus semper mortuorum, ait, corporum cibus est, & ex cadaveribus nutriuntur & vivunt. Ea vero de causa profanae sunt in Divinis literis, ut ait Hierosolymitanus Hefychius, quod per eas homines intelliguntur, qui rixis & bellis gaudent, ut cadaveribus, visceribus quippe miserorum, & atro sanguine depascantur, cum minime oporteat hominem contemplationi deditum, aliorum casibus passim enutrir.



## FUNUS. CAP. XI.

Natalis Co-  
mes in My-  
thol. lib. 2.  
c. 7.

Sunt, qui Marti Vulturem dedicatam asserant, quod diverso ab aliis ingenio prædita, omnem ventium consuetudinem abhorreat, studiumque omne suum circa hujusmodi caedes intendat, atque demum funesta omnia hieroglyphice significet. Sane cum natura omnia in sese recipiat, sitque decedentium omnium receptaculum, Vulturque, uti sæpe dictum, naturam exscribat, non mirum, si sponte cadavera nanciscatur, tam pro naturæ quam funeris signo accepta est à veteribus. Olim autem apud Iberos Vulturem erant pro sepulchro, sicut apud Hyrcanos Canes, ob id dicti sepulchrales. De Iberis ita Silius XIII.

Vultur se-  
pulchralis.

*Tellure, ut perhibent, is mos antiquus, Iberis,*

*Examina obscenus consumit corpora Vultur.*

En. lib. 10.

De his Virgilius dixit: *Alitibus linguere feris*. De his Homerus, *οὐρανὸν τὸ πῶν*. De his Octavia Philippiensi prælio cuidam suppliciter sepulturam precanti respondit, *Jam istam in volucrum præse fore*.

## PEREGRINUS. CAP. XII.

Idrog. nidos  
nemo at-  
git. Plin. lib.  
10 c. 6.  
Negat id i-  
bidem Plin.

Sunt qui peregrinum hominem & ignotum omnibus, hieroglyphice per Vulturem apte significari dicant: propterea quod multa Vulturem exercitum sequentes repente apparere soleant, volutæ semper ob raritatem prodigioso, & tam en unde, constat nemini: quapropter eos ex diverso orbe nobis incognito advolare plerique putant, argumento, quod nemo, ut Herodotus Brysonis Rhetoris pater asserbat, nidum Vulturis vidisset. Illæ sane in excelissimis & inaccessis rupibus nidificant: & quamquam difficulter nidum aut pullos ejus alitis videris, aliquando tamen visos tradit Aristoteles.

## CONCUPISCENTIA. CAP. XIII.

Encl. lib. 6.  
Idem sero  
Hom. Odyf.

Quod vero poetæ fingunt eam Tityi jecur abrodentem ut apud Maronem legere est, — *Per tota novem cui jugera corpus* *Viscens: rimaturque epulis, habitatque sub alto*  
*Porrigitur, postroque, immanis vultur obunco* *Peccore: nec sibi requies datur ulla renatis.*  
*Immortale jecur rudentis, fecundaque pennis*



**A** Ab Ægyptiacis commentis haudquaquam dissimile est. Anima enim, ut Philosophi Poetæque veteres commentantur, in portionem rationis participem unam, & rationis expertam alteram dispersitur. Sedenim quæ rationi adglutinata est portio, supra sensum & sensibilia sublata, quanto potest luctamine, tanquam Vulcani congressum effugiat Pallas, semetipsam sibi asserere meditat: quæ vero aliena est à ratione, brutis proxima, temere omnia vel appetit, vel concitat. Appetentis autem vim totam in hepate Philosophi plerique constituunt. Quare quod concubitus illegetimos Tityus appetierit, jecur ab alite rodi fingitur: sive ea Vultur, sive, ut alii quidam, Aquila sit. quæ illud abrodat. Utcumque, noctu ait Hesiodus tantum accrescere, quantum die fuerat absumptum, propterea quod mentis agitatio noctu præcipue vigescit, cogitationesque & consilia noctu undique suggeruntur. Sedenim quia dictum est superius, Vulturem odoratu sagacissimo ad putredinem deferri: cogitationis (inquiunt nonnulli) principium, motusque omnis à corde proficiscitur, qui quidem est voluntatis fons, ut ex Homero & Poëtis aliis tam Græcis quam Latinis accepimus. A corde igitur est, quod malè habet jecur, itaq; Tityus ratione hac à Vulture laceratur. Sedenim Triclinius apud Pindarum viscera Tityi à serpentibus discerpi depascique dicit, quæ quidem est Poetarum licentia, non in his fabulis tantum, verum etiam in historiis, ex commodo suo quæcumque voluerint variare.

## LIVOR. CAP. XIV.

Nonnulli livorem ex hieroglyphico hoc interpretantur, eoque spectare Tityanam Vulturem in appendicibus Virgillii:

*Quæ semper lacerat, comestq; mentem,  
Vivit pectore sub dolente vulnus:*

*Quod Chironia nec manus levarit,  
Nec Phæbus, sobolesve clam Phæbi.*

In quam sententiam alitis hujus figmentum Petronius Arbitr, Nicagoras, & Aristoxenus acciperent.

## DIVINA PROVIDENTIA. CAP. XV.

**C** Quod denique Vulturem nonnulli Promethei etiam cordi abrodendo applicant, Ægyptiacæ eruditioni longè accommodatius est. Vulturem enim in mundi modum considerant. Cui picturæ illa etiam applicatur causa, quod mundus celeri quadam volubilitate versetur, & cadaverum nascentium occidentiumque perennitate pascatur: cumque in corde sapientiæ sedem veterum plerique posuerint, alitis hujus cor depascens hieroglyphicum, ali sustentarique mundum diviniæ sapientiæ providentia, quæ nec ipsa finire novit, nec mundus cessare ab ejus alimentis vel tantillum queat, manifestissimo significat argumento.

## CONSUMMATIO. CAP. XVI.

**D** Neque illud parvi momenti mysterium est, quod cum perfectum quid in rerum natura Ægyptii sacerdotes indicare vellent, Vulturem, & Scarabeum ponere consueverunt: utpote qui ex duobus his simulacris Palladem & Vulcanum, ut ipsi ajebant, intelligerent. Comprehendebant autem picturam hanc uno tantum argumento, ex quo masculino-femineum, ut dicam, sexum significari profitebantur. Ita tamen imagines disponebant, ut si Vulcanum significare vellent, Scarabeum primo inceptarent, mox in Vulturem desinerent: si Minervam intelligi vellent, à Vulture principium sumentes, in Scarabeum desinebant. Cæterum quia primo statim obtutu nova hæc fortè videbuntur, ea latius explicabimus pro eorum institutione, qui nondum rerum naturalium sacris initiati sunt.

## PALLAS ET JUNO. CAP. XVII.

Illud autem imprimis non ignorari velim, cælo in superius & inferius hemisphærium diviso, Ægyptios quod supra finitorem est Palladi consecrassè, quod verò infra ab oculis semper nostris summotum, Junoni dedicassè. Et quoniam cælum ipsam muliebri genere Uraniam, non ἄρα γὰρ, quod præcipue etiam apud Arabes erat, vocitabat, utpote quæ Solis, Luna, stellarumque omnium mater haberetur & Vulturem, ut sæpe dictum, omnino feminam intelligerent, utrumque itidem hemisphærium, quo cælum constat univèrsum, per Vulturis hieroglyphicum exprimebant: atque ita tam

Pallada quam Junonem, simulacro Vulturis significabat. Quinetiam unicuique muliebri signo al-  
 tem hanc pro gestamine addidere, atque ita demum unamquamq; Deam unius figuratione Vulturis  
 intelligebant. Ut vero ad Vulcanum & Pallade revertamur, mundum in univrsum Aegyptii ex mare  
 atque foemina constare videbantur, solos vero deorum Vulcanum & Pallada masculo foeminas ac-  
 ferebant, cum tamen uti castigatiores Hori codices habent, supra Vulcani caput Scarabeum, supra  
 vero Minervae Vulturem statuere soliti essent. Atqui mundum ex Scarabeo, qui tantum mas est, ab  
 eisdem intelligi, suo ostendimus commentario: ex Vulture autem Pallada significari, qui supremum  
 est hemisphaerium, ac muliebri sexu perhibetur, ut paulo ante dicebamus: atque ita fieri ut Palladis &  
 Vulcani opera, quicquid in rerum natura cernere est, formam consequatur, & ad absolutam specie  
 redigatur. Nam Pallas ingenio capacissimo freta, nihil non concipit, nihil non parturit: Vulcanus ve-  
 ro eo quo pollet artificio optime peritus, ignis sui accedente beneficio, omnia quae fuerint dissolven-  
 da liquat, contra vero alia cogit in duritiem, firmoque concretu pervincit. Atque hoc illud est quod  
 Maximus Tyrius principium artis Vulcanum ab Homero dictum autumat: nam & quem ignem Pro-  
 metheus furatus dicitur, Hesiodiani interpretes vitam variis artibus implicatam exponunt, Neque  
 citius in iis quae ad sapientiam spectant, de quo post latius dicemus, opeoratur.

*Adhuc Na-  
 talis Comets  
 Mythol lib.  
 3. cap. 5.*

ARS ET INGENIUM. CAP. XVIII.

*Palladis cu-  
 Vulcano co-  
 pulatio  
 quid.  
 Cetera Nat-  
 Comets loco  
 pradiho.*

**E**A vero de causa commenti sunt Aegyptii Vulturem adungere Scarabeo, qua itidem fabulae Pal-  
 lada Vulcano matrimonio collocatam fingunt. Ufurpatum autem a veteribus maxime, quod in  
 Orphicis etiam hymnis observatur, duas has vires in eadem substantia meditari, quarum alter coe-  
 platur, quod munus est Palladis: altera praest corpori, quod ad Vulcanum spectat, easq; cognominibus  
 maris & foeminae nuncupare. Sedenim, alii omnium hanc caelestium animorum prerogativam esse  
 dicunt, ut utrumque obeant munus, concipiendi quidem per contemplationem, quae a superiori po-  
 testate eorum infunditur intelligentiae, simulque agendi inferiorum corporum cura, quae sibi credi-  
 ta regant, instruantque qua ratione per afflatum datur, atque etiam e periculis eximant, & sospite  
 valetudine tueantur. Unde etiam Empedocles, cum se Deum jam effectum asseveraret, puerum &  
 puellam esse se dicebat, cujus haec circumferuntur carmina, quae rem attestantur:

*Καλῆστ', ἐγὼ δὲ υἱὸν θεοῦ ἀνέβλεψα, κηέτι θυπέ.  
 Ἦδὴ γὰρ πῶτ' ἐγὼ γυναικὸν κέρει κέρει.  
 Immortalis ego, haudquaquam mortalis habendus,  
 Sumq;, valete omnes, puer ecce, puellaq; factus.*

*Nempe An-  
 d ozyrum.*

Atqui etiam si rem ulterius scrutari voluerimus, hominem, de quo apud Philosophos consideratio  
 utriusque sexus esse comperimus: unde quantum pertinet ad intellectum, nullum discrimen Socra-  
 tes inter marem & foeminam discernere, eandemque virtutem atque docilitatem in utroq; depre-  
 hendebat: caelestemque illum nos etiam talem agnoscimus, cujus appellatione & angeli ipsi, & fae-  
 mali daemones intelliguntur, cui nuncupationi nostrae etiam Sacrae litterae ad stipulantur: frequen-  
 tumque hoc apud Prophetas de bonis Angelis, ac de malo etiam daemone, qui nihil natura distat

*Homines u-  
 t iug. na-  
 tura.  
 Atq; hoc li-  
 quare ali-  
 quis de  
 stat. hom.*

ab illis. In Evangelio scriptum est: *Inimicus homo haec fecit*, denique apud antiquos, quamvis duos hos  
 tantum Aegyptii masculino foeminas duceret, in deos omnes utriusq; sexus testimonia reperias. Quin-  
 etiam minime commentitium est, utriusq; naturae homines inveniri, qui partem inter se utramq; per-  
 vagant, cujusmodi sunt populi supra Nasamonas, confinesq; illis Maclias, Calliphanis testimonio si-  
 tis cogniti, ac in reliqua etiam Europa deprehensi, ne apud solos Lunenses Hermaphroditum existi-  
 met Annalium commentator Fenestella: severaq; admodum lege cautum, ad quem malint sexum esse  
 gang, altero si abutantur capitali supplicio puniendi. Qui vero Hermaphroditum ex marmore factum  
 reperitur, facie quippe muliebri, mammisq; notabiliter tumentibus, alve coxendicibusq; gran-  
 dioribus, virilibusq; natura procacius excitata, ad superiorem intellectum referri debent. Hujus imago  
 simulacrum pulcherrimum Romae apud Petrum Melinum vidi. Sed ut ad deos, de quibus ageba-  
 mus, revertamur: Aegyptii tum alia pleraque tum praecipue liberorum procreationem, sententia  
 Graecorum fabulis aliena, inventum esse ajunt Palladis & Vulcani. Atqui Scarabeus natos ex mate-  
 ria pu-

**A**ria, putida conformat, humique fovendam condit. Vultur ex halitu superioris aeris prolem suscipit: junctura hæc hominem efficiunt, in cujus dispositam materiam animus immittitur cœlitus, dum scilicet embryon in matris utero coalescit. Porro quod Vultur & matris, & Palladis symbolum est apud Ægyptios, id in memoriam adducit, quod in Divinis Literis Mater sæpe hieroglyphicè pro Sapientia ponitur, ut apud Salomonem Proverbiis: *Fili mi, audi doctrinam patris, id est, Dei, & non discidas à lege matris tuæ, id est, sapientiæ.* Quod vero natam ex Jovis capite Pallada confixere, sciendum eam pro intellectu Jovis accipi, in ejusque providentia consistere: quapropter in Minervæ gratiam antiqua superstitione Sapientiæ templa, eaque potissimum in arcibus, dedicabantur. De capite autem veteres præcipuum animæ regimen emanare judicaverunt, quod & alii postea multis experimentis cognitum prodidère. Præterea, velut caput superior pars humani corporis est, ita æther, in quo regimen rerum, & totius providentiæ causa, vertexque deorum, ut apud Euripidem est:

*Lucidus hic terra qui circumfunditur æther.*

**B**ullo præterea matris beneficio genita Minerva, quo magis cum Scarabeo sine compare genito, commercium inire possit. Virtutis siquidem generatio diversa est ab ejusmodi rebus, quæ parium concubitu fiunt. Hinc Jovem nonnulli ajunt consilium (ita enim *Φαλαγγ* exponendum) deglutisse, & mox Palladem edidisse: quippe qui consultor & sapiens sit habendus, non alia quam consilii via ad prudentiam devenire potest. Alii fabulam aliter contexuere, dum Jovis caput à Vulcano comminatum ajunt:

*Sitque ita de patrio vertice nata dea.*

**C**ignis siquidem, quo in operibus ad demonstrandam naturæ puritatem utimur, humanæ est instrumentum industriæ. Ignis occulta omnia dat luci: quod vero quis exquirat, si fuerit inventum, id is & parere, & tanquam sacrum edere videtur. Sane vetustas (id enim sæpe repetendum) Minervam omnium operum inventricem sapientissimam ponit, & omnia apud nos per Filium facta sunt. Orta illa ex Jovis capite confingitur. Vera Minerva sine qua factum est nihil, noster quippe Ehiel, hoc est, artifex, quod nomen secundo loco literæ sacræ ponunt, nutu consilioque intimo summi Dei, non inferiorum operum more, sed ex Dei capite emanavit. De hoc, Proverbiis: *Et Ehiel secundum se appellatus artifex & Ehiel deliciae quotidiane.* Nostri: *Cum eo erant cuncta componens, & delestabat per singulos nem dies.* Ita semper divina dubio procul dispensatione apud nationes omnes aliquis semper veritatis fulgor illuxit, Nam ignis quem Hebræi, ut Reuchlin observavit, Esth vocant, unum est ex primoribus Dei nominibus. Ab eo nomine Græci *ἔσθια* Romani Vestam fecere, de qua Ovid.

*Nec tu aliud Vestam quam puram intellige flammam.*

Quare triplex illa divinatorum nominum observatio, quæ ad omnium ferè gentium, quæ disciplinis usæ sunt, usum faciunt, diligenter animadvertenda, ita enim habent:

Hebræi,	Hu,	Ehiel,	Esth.
Græci,	ἔσθια,	ἄφροδία,	ἄφροδία.
Latini,	Jupiter,	Minerva,	Venus.
Theologi,	Idem,	Ens,	Ignis.
Antiqui,	Nox,	Cœlum,	Æther.

**D**enique, Deus, inquit Apollolus, qui dixit in tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris, ad illuminationem notitiæ claritatis Dei, in persona Jesu Christi.

IGNIS DUPLEX. CAP. XIX.

**C**um itaque Pallas translucidus & purus ignis intelligatur, ne Græcorum figmenta hujusmodi prætereamus, merito Vulcani nuptias averfatur, ut in virginitatis suæ puritate persistat: neque quidem ea conjugem aspernatur, sed ab eo contingi contaminari ve minime patitur, siquidem is, quo utimur, ignis, qui materiæ adhaeret, aere tamen commistos, Vulcanus est. Affectat is nuptias Palladis, quantoque conatu potest sursum versus erigitur, ac nisi perpetuis materiæ vinculis præpeditus quodammodo in ergastulis detineretur, nimirum sponsæ thalamum ascenderet. Jovis hic & Junonis filius effingitur, Homero id asserente, quorundam vero commento, Junonis tantum, ut apud Hesiod.

*Hesiod. in Theog.*

Testatur  
hoc Hom-  
erus in Ilym-  
no Vulcani.  
Vulcanus  
gaure clau-  
ditus.

propterea quod densiori applicitus materia, atque uti pavimento adglutinus, ne ad sublimia fastidii possit, coercetur. Inferiora autem hæc Junoni adjudicata esse tunc ostendimus, cum infernum hemisphaerium eam fortitam esse commemoravimus. Quare Varro dicere solebat, Vulcanum intelligi de vehementiore, utpote fabrilis fornacaliq; igne, Vestam vero de domestico. Utcumq; autem, flamma nihil aliud est quam aer crassiusculus incensus, inferior vero, aer hic Juno, sic ea Vulcanum generat. Claudus idem perhibetur, sive quod ob densum materiae meatum, consensam habet cum iis que umbram reddunt, umbrae vero pleraque omnes obliquæ sunt, neque sine solido corpore esse queunt: inde etiam conficta claudicitate, quod progredi nequeat absq; aliquo quasi ligneo baculo, sive quia superioris mucronis modum diversum & inæqualem ab inferiori ubi depascitur, efficit, qui cum sit omnino tardior, claudicare Deum ideo dixere. Verum apud Homerum utroque pede claudicat quia scilicet nunc in dexteram nunc in laevam agitur, dum aerem percurrere contendit, cujus densitas ne ascendat ad Palladem, obistere videatur: inde cum sit corpori adalligatus dum se vinculis liberare nititur, modo hunc, modo illum pedem tentat è compedibus extrahere, unde motari quoque versus, & undequaque distorqueri cogitur: atque ita speciem hominis utroque pede claudicans exhibet. Projectus ab Jove de cælo in terram fertur Vulcanus idem: nempe quia, ut nonnulli tradunt, qui primi ignis usum adinvenere, in ardentem materiam aliquam fulmine tactam incidere, atque ita mox utilitate cognita, ad igniaria deventum, quam inter varias opiniones, unde ignis datus mortalibus, primam ita Lucretius ponit:

*Illud in his rebus, tacitu ne forte requiras,  
Fulmen detulit in terras mortalibus ignem  
Primitus, inde omnis flammæ dicitur ardor.*

## DRACHMÆ DUÆ, SIVE COR. CAP. XX

His igitur notis Ægyptii tam in mysteriis suis edocendis, quam in natura secretis aperiendis, & civilium morum præceptis proponendis utebantur. Sed & in reliquis disciplinis ab eodem descriptionis genere non recedebant, ut si de Mathematicis rebus locuturi, in numeris drachmas duas ostendere voluissent, Vulturem, ait Horus, ponebant. Causam nonnulli commenti sunt: quia unitas apud Ægyptios duarum drachmarum instar æstimatur. Unitas vero una cum binario, totus est numeri generatio. Merito itaque si drachmas duas indicare vellent, Vulturem pingebant, quandoquidem & matris & generationis prærogativa polleat: perinde ac unitas ipsa una cum binario numeros omnes generat. Quare cum ita mater esse videatur, optimè Vulturi competit. Utcumque, curta sunt hæc in exemplaribus Hori, quod aliter



Cor per  
Vulturem.

Vita homi-  
nis centum  
a. norum.

derint, si castigatiora in exemplaria incidere. Cæterum, si ariolandum sit in re usque adeo perplexa, putarim ego, Cor hinc significari, qui legerim apud eosdem Sacerdotes, vel qui doctrinam eorum interpretati sunt, infantium annulorum cor duabus drachmis ponderari, augeri autem per annos singulos drachmis itidem duabus, ad annos usque quinquaginta: inde per annos alios eodem decretere æquilibrio, quod ad id usque tempus auctum fuerit, hominemque tunc deficere, cum ad drachmas jam duas cor ipsum redactum fuerit: ita vitam humanam centum annis plurimum circumscribi, nisi aut negligenter, aut intemperanter acta, ipsa sibimet, uti Turdela, incommoda compararit, seque parte aliqua fraudaverit: nam cor affectum injuria & tranquillitate sua defraudatum, pro molestiarum portione properantius efflaccit & deficit, Quæ quidem cum admodum insignia sint apud Ægyptios, non uno erunt loco repetenda. Id autem annorum spatium cum Vulturinæ congruat vitæ, sitque vitæ omnis vis in corde sita, facile unicuique constare puto, cur drachmæ

- A** drachmæ duæ ex Vulturis simulacro significantur. Sanè verò, siue numus hic fuerit duabus drachmis imputatus, qui Vulturis imagine signaretur, siue alia fuerit ejus nota, illud manifestum est, Didrachmam apud veteres numi pondus fuisse, quem suo nomine Siclum Hebraei vocabant, qui quidem 20. obolis imputabatur; frequentissimusque est hujus locutionis usus in Divinis literis, ut alii siclum alii Didrachmam ponant. Nam Levit. capit. 7. supra 20. ubi Legislator, pretium ponit quo se redimere possit, is qui honorem animæ suæ Deo voverit, legas, à quinto anno ad vigesimum qui se Deo usus. *Didrachma* voverit, sicli viginti posse redimi. LXX. Interpretes, viginti didrachmis reddidero. Ita illud pretium masculi à vigesimo anno usque; ad sexagesimum, quinquaginta sicli argenti ad mensum Sanctuarii, idem LXX. transtulerunt, quinquaginta didrachma, & multa passim hujusmodi. A deo vero illis ardebat Didrachmæ vocabulum, ut si Drachma una esset enuncianda, Didrachmæ dimidium potius quam Drachmam unam, aut sicli dimidium ponerent; cujus facti rationem, & cur hoc pondus Sanctum appellaretur, legas apud Hierosolymitanum Hefychium, libro ejus 7. in Levit. c. 27. Atque ut hujus monetæ pondus ad temporis nostri usum deducamus, sciendum Obolum ejus pretii esse qui Romæ nunc literis aliquot immutatis Baliocus, quasi obolicus dicere velint, appellatur. Drachma verò pondus est ejus numi, qui Romæ Julius hodie vocatur. Venetiis Marcellus argenteus ejusdem ferè ponderis est, uti etiam Ferrariæ atque Mantuæ vulgo Buxoloti nomine. Aureus quoque numus drachmæ ferè pondus æquat, atque ita siclus argenti vel didrachma, uno Mocenico Veneto imputatur qui proximè accedit ad Julios duos: non enim hæc ad unguem explanari possunt, propter locorum varietatem, quia Juliæ monetæ Romanæ pretium, extra Romanæ Pontificiæve ditionis loca, minoris quam Romæ æstimatur: contra Mocenicus, moneta Veneta, extra Venetorum ditionem pretiosior est quam apud ipsos, vel eorum socios. Aurei quoque tam pretio variant, quam varii sunt qui eos cudunt Domini: Sed ponderis in eodem genere parva admodum differentia. Atque hæc sunt, eruditissime Præsul quæ doctrinam Ægyptiorum secutus super Vulture conscripseram: nescio an plura in archetypo fuerint, quem surreptum initio conquestus sum; puto tamen hæc ad hujusmodi mysterii cognitionem factura satis. Multa vero de industria præterii, veritus ne nimia prolixitas delicatioribus fastidio esset: & otii quod mihi exiguum concedebatur, habenda ratio fuit, cum multa alia, ac pene innumera sint in hujus generis commentaria, si per otium licuerit, redigenda, ut amicis argumentum hoc, vix ulli hæcenus attentatum, deposcentibus, quantum pro tenuitate mea præstare potero, satisfaciam.

## JOHANNIS PIERII VALERIANI

### HIEROGLYPHICORUM

#### LIRER XIX.

### DE IIS QUÆ PER AQUILAM SIGNIFICANTUR.

**D** Ex sacris Ægyptiorum Literis.

AD CLARISSIMUM ABBATEM D. PALUM  
JUSTINIANUM.

**S**ummum ingenii tui acumen, suavissimi mores, incomparabilis benignitas & eximia in amicos omnes liberalitas effecerunt Paule Justiniane vir rarissime, ut Aquilam tibi ex aviaria meo Ægyptiaco dedicare cogita verim: quippe quod tu alitis hujus plerisque, ut ita dicam, virtutes, aut excellenti natura dotes, præ te ferre mihi compertus es. Sed potior nimirum causa fuit quod Justiniana familia gestamen est Aquila aurea, quia scilicet progeniem hanc ex Justiniani Imper. sanguine deduci, omnibus

Ff

mnibus